

piscopis nostris oratores vestri pertractavimus, omnia ad mercedem animae vestrae seu filiorum vestrorum esse conspicitur.

Omnipotens et misericors Deus per intercessionem sanctae suae genitricis sanctorumque apostolorum Petri ac Pauli diu vos in hoc mundo conservare dignetur et post multorum annorum curricula coelestia regna cum sanctis omnibus faciat adpisci.

Piissimum Domini imperium gratia superna custodiat, eique omnium gentium colla substernat.

*Embolim.* Et hoc vestrae serenitati intimare curavimus de praefato Fortunato, ut, sicut semper pro illius honore temporale laboratis, ita et de anima eius curam ponatis, ut per vestrum pavorem suum ministerium melius expleat. Quia non audivimus de eo, sicut decet de archiepiscopo, neque de partibus istis, neque de partibus Franciae, ubi eum beneficiastis. Tamen gratias agimus Deo, quia omnia vobis incognita non erunt. Interrogate quidem fideles vestros, et omnia vobis nota fiant, eo quod illi, qui vobis eum conlaudant, hoc per munera et calciaria faciunt. Quid nobis plus amabile est quam vestra dulcissima anima? Et Deus cognitor est, quia post salutem animae vestrae haec omnia vobis insinuamus, eo quod de tanto amore, quem erga vestram serenitatem gerimus, ideo silere non possumus.

Potestis interrogare fratrem nostrum Hildibaldum archiepiscopum et Ercanbaldum cancellarium. Fortasse aliquid exinde cognoverunt. Quia cognovimus eos animae vestrae fideles in omnibus.

42. — 813, 11 nov. *Leone III papa all'imperatore Carlo Magno.*

Fonte: Bibl. Guelferb. 287, cod. Helmestadii, 254, c. I.

Ediz.: Mon. Germ. Hist., *Epist.*, V, 97.

Domino piissimo et serenissimo, victori ac triumphatori filio, amatori Dei et domini nostri Iesu Christi, Karulo augusto Leo episcopus, servus servorum Dei.